



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis
Ecclesiae**

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiae, 1688

Benedictio palmarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

afflicti populi tui lacrymas respice, & iram tuam indignationis, quam iuste meremur, propitiatus averte. Per Dominum, &c. Amen.

Consuetudo quæ in quibusdam templis etiam parochialibus habet, ut prælatâ cruce habeatur processio seu circuitus circa templum sicut in dominicis diebus, & Responsorium: Emendemus, &c. Postmodum ante summum altare à sacerdote Litaniam de omnibus Sanctis cum Collecta pro omni gradu Ecclesie canantur, ac demum sacrum summum subsequatur, illa nulla tenus abrogatur, sed commendatur.

NB. **BENEDICTIO PALMARUM.**

Dominicâ in palmis ante missam solemnem fit illa benedictio, modo sequenti.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cœlum & terram.

Oremus.

Visita, quæsumus Domine, plebem tuam, & corda nostra sacris dicata mysteriis, pietate tuere pervigili, ut remedia salutis æternæ, quæ te miserante percepit, te protegente custodiat; Per Dominum, &c. Amen.

Lectio Libri Exodi.

In diebus illis: venerunt filii Israël in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ: & castrametati sunt juxta aquas. *Exodi 15* Profetique sunt de Elim: & venit omnis multitudo filiorum

Filiorum Israël in desertum Sin, quod est inter Elim & Sinai: quinto decimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Ægypti. Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israël contra Moysen & Aaron in solitudine, dixeruntque ad eos filii Israël. Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carniū, & comedebamus panem in saturitate. Cur induxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame? Dixit autem Dominus ad Moysen: Ecce, ego pluam vobis panes de cælo. Egrediatur populus, & colligat, quæ sufficiunt per singulos dies: ut tentem eum, utrū ambulat in lege, mea, an non. Die autem sexto parent, quod inferant: & sit duplum, quàm colligere solebant per singulos dies. Dixeruntque Moyses & Aaron ad omnes filios Israël. Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti: & manè videbitis gloriam Domini.

Deinde cantatur Responsorium à Choro.

Collegerunt Pontifices & Pharisæi consilium, Ioan. 11. & dicebant: quid facimus? quia hic homo multa signa facit: si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: Et venient Romani & tollent nostrum locum

Aa

& gen-

& gentem. **Verf.** Unus autem ex illis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, prophetavit dicens; Expedi vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Ab illo ergo die cogitaverunt interficere eum, dicentes. **Et** venient. &c.

Vel cantetur aliud Responsorium: In monte oliveti &c.

Postea sequitur Evangelium.

Sequentia S. Evangelii secundum Marcum.

IN illo tempore, cum appropinquarent Jerosolymæ, & Bethaniæ ad montem olivarum: mittit Jesus duos ex discipulis suis: & ait illis: *Marci ix.* Ite in castellum quod contra vos est, & statim introeuntes illuc, invenietis pullum asinæ alligatum, super quem adhuc nemo hominum sedit: solvite illum & adducite mihi. Et si quis vobis dixerit: quid facitis? dicite quia Domino necessarius est, & continuo illum dimittet huc. Et abeuntes invenerunt pullum alligatum ante januam foris in bivio, & solverunt eum. Et quidam de illic stantibus dicebant illis. Quid facitis solventes asinum? Qui dixerunt eis sicut præcepit illis Jesus: & dimiserunt eis. Et adduxerunt pullum ad Jesum: & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum. Multi autem vestimenta sua straverunt in via. Et qui præibant, & qui

qui sequebantur, clamabant dicentes. O sanna, benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum patris David, O sanna in excelsis.

Benedictio ramorum.

Deus qui per olivæ ramum pacem terræ nuntiari fecisti, præsta quæsumus, ut hos olivæ cæterarumque frondium ramos tuâ cœlesti benedictione sanctifices: ut cuncto populo proficiant ad salutem. Per Christum Dominum, &c. Amen.

Oremus.

Deus qui filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, pro salute nostrâ in hunc mundum misisti, ut se humiliaret ad nos, & nos elevaret ad se, cui etiam dum in Jerusalem veniret, ut adimpleret scripturas, credentium populorum turba, fidelissimâ devotione, vestimenta sua cum ramis palmarum in via prosternebant, præsta quæsumus ut illi viam præparemus, de qua remoto lapide offensionis & petra scandali, frondeant apud te opera nostra justitiæ ramis, ut ejus vestigia sequi mereamur. Qui tecum vivit &c. Amen.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus qui diluvium

biscum. **S**ursum corda. **G**ratias agamus Do-

mino Deo nostro. **V**erè dignum & justum

est æquum & salutare, nos tibi semper &

ubique gratias agere, Domine sancte pater

omnipotens æterne Deus, Mundi conditor,

omniumque creaturarum mirabilis dispositor,


Deus qui inter ipsa mundi primordia cum ex

nihilo cuncta conderes, ligna quoque fructifera

& diverso usui congrua terram producere

Aa 3

iussisti:


 jusisti: ac post maledictum interdictæ arbo-


 ris univēsa nobis per obedientiam u ni ge-


 niti filii tui in benedictionem conver-


 tisti. Bene  dic etiam hos arborum ramos,


 inter quos præcipuè arbor olivæ pinguedi ne


 cunctos præcellit: per quā etiam cū mundi cri-


 mina diluvio quondam expiarentur ef fuso,


 columba ramum ejusdem ferens, pacē terræ red-


 ditam nuntia vit. Nec non & innocensturba Spi-
 ritu

ritu sancto afflata, unigenito tuo Domino no-
 stro Jesu Christo, pro totius mundi salute
 passuro obviam currens, palmarum & hujus
 arboris ramos abscindens: ac vestigiis ejus
 substernens: jam quasi triumphatorē de mortis
 principe ostendebat. Te igitur Domine supplici-
 ter deprecamur: ut qui annua devotione ejusdē
 redemptoris nostri sacratissimam passionē præ-
 ve nire ni timur: ipso adjuvante palmā victoriæ
 tenen-


tenentes: atque oleo misericordiae intrinsecus re-


fulgentes: in eius sancta resurrectione praemium


vitae, & immortalitatis coronam percipe re me-


reamur:

Concluditur in tono orationis haec Praefatio.

Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum
Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate
eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Benedictio.

Bene **✠** dic, quaesumus Domine, hos ramos: &
praesta: ut quod populustuus, in tua veneratione, ho-
dierna die corporaliter agit: hoc spiritualiter summam
devotione perficiat, de hoste victoriam reportando,
& opus misericordiae summoperc diligendo. Hu-
militer etiam deprecamur: ut haec arborum germina
ita sancti **✠** ficare digneris: ut loca, ad quae depor-
tata fuerint: sancti **✠** ficata efficiantur: & iniquitas
omnis inde discedat, & tua nos dextera semper pro-
tegat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde

Benedictio ramorum.

193


Deinde aspergantur & thurificentur rami, atque distribuantur, sub ea distributione cantantur sequentes Antiphonæ:



Pueri Hebræorum tollentes ramos oliuarum



obviaverunt Domino clamantes & dicentes: O



sanna in excelsis.



Pueri Hebræorum vestimenta prosternebant



in via, & clamabant dicentes Osanna filio Da-



uid benedictus qui venit in nomine Domini.

Et canitur: Asperges me Domine &c. **sine** Gloria Patri &c. **Collecta consueta ex Missali sine** Dominus vobiscum.

Postea fit Processio.

In qua canitur post ejusdem initium sequens Antiphona:



Cum appropinquaret Dominus Jero so li-

B b

mam


mam mi fit du os ex discipulis suis
 dicens: i te in castellum quod e contra
 vos est, & invenie tis pullum a si nae al-
 li gatum, super quem nullus ho mi-
 num sedit, sol vi te & addu ci te mihi.
 Si quis vos interroga verit, di ci te: o-
 pus Do mino est: sol ven tes ad duxe-
 runt ad Jesum & imposuerunt il li vestimēta &
 sedit supereū: Ali i expādebāt vestimēta sua
 in

invi a : Ali i ramos de arboribus externebant;
 & qui sequebantur clamabant: O fanna
 benedictus qui venit in nomine Domini, bene-
 dictum regnum patris nostri David; O fanna in
 excel sis! miserere nobis fi li Da-
 vid.

Dum processio ad locum stationis, ubi crux posita est, pervenerit, scholares seu aliqui instructi stantes retro crucem, versâ facie ad processionem cantant primum versum Hymni, à Theodulpho Aureliano Episcopo compositi, ut sequitur alternando cum sacerdote & choro.

Scholares. **Gloria, laus, & honor tibi sit Rex Chri-**
Bb 2 ste


 ste Redemptor; Cui puerile decus prompsit


 Ofannapium.

Sacerdos & chorus simul repetunt hunc totum versum.

Scholares 

Israel es; tu Rex; Davidis & inclyta

proles; nomine qui in Domini Rex benedicte


 venis.


Sacerdos & chorus repetunt: Cui puerile decus &c.

Scholares 

Coetus in excelsis te laudat coelicus om-


nis & mortalis homo cuncta creata simul.

Sacerdos & chorus repetunt. Gloria laus & honor &c.


Scholares 

Plebs Hebraea tibi cum palmis obvi-

am



am venit cum prece, voto, hymnis, adsumus



ecce tibi.

Postea sacerdos projicit ramulos palmarum ante crucem, similiter populus, & tollitur crux & revertitur processio deferendo crucem ad Ecclesiam, dumque paulatim templo appropinquat, canitur Responsorium:



Ingrediente Do mino in sanctam ci vi-



ta tem, Hebræorum pue ri re-



surrectionem vitæ pro nunti antes. **Cum**



ramis palma rum Osanna clama bant



in ex cel sis. **Verf. Cumque** audissent



quia Jesus venit Je rosolymam, exi e runt ob-

viam



Quando processio intravit templum, canitur initium Antiphonæ: Turba multa. Et intonatur canticum: Benedictus Dominus Deus Israël &c. habeturque supra in benedictione cereorum pag. 170.



Si fuerit in templo organum, alterni versus organo, alterni à choro cantantur: finito cantico Benedictus. si organum non pulsetur, repetitur tota Antiphona.



Oremus.

Adjuva Domine fragilitatem plebis tuæ, ut ad votivum magnæ festivitatis effectum, intercedente Beata Maria semper Virgine, & corporaliter gubernata recurrat, & ad perpetuam vitam, te miserante, perveniat. Per Dominum nostrum &c.


Abso.

Adoratio Crucis, die Veneris sancto. 199

Absolutâ hâc oratione, incipiat chorus introitum, & reliqua peragantur suo ordine ut in Missali.

DE ADORATIONE CRUCIS
IN DIE PARASCEVES.


Finitis orationibus, quæ post passionem in missali habentur, Parochus (juncto sibi Presbytero si adsit) procedit ad cornu Epistolæ, & ibi in posteriore parte anguli altaris, accipit crucem à ministris sibi præparatam: & versâ facie ad chorum cantat sequentem Antiphonam:



Popule meus quid feci tibi, aut in quo



contristavi te? Responde mihi: qui a e-



duxi te de terra Ægypti, paras ti



crucem Salvatori tuo.

Diaconi, aut duo
pueri subjungunt:



Hagios ho theos, Hagios If-



chyros, Hagios athanatos e leison himas.

Tunc chorus cum
genuflexione cantat:



Sanctus Deus, sanctus fortis,

sanctus



sanctus & immortalis miserere nobis.

Sacerdos crucem portans :

paululum procedit:



Qui a e duxi te per deser-



tum quadraginta annis, & manna cibavi



te: & introduxi in terram fa tis o pi mam,



paras ti crucem Salvatori tu o



Diaconi aut pueri repetunt:

H agios &c.



Et subjungit Chorus denuò:

Sanctus &c.

Sacerdos crucem portans :

paululum progressus:



Quid ultra de bui face re ti-



bi & non feci? E go quidem planta vi te

vine.




vineam meam fructu decoram, & tu fa cta



es mihi nimis amara, a ceto namque sitim



meam potasti, & lanceâ perforasti latus Sal-



vatoris tui.

Diaconi aut pueri tertio cantant:



Hagios &c.

Subjungitque Chorus tertio:



Sanctus. &c.

Hic Sacerdos sublato velamine totaliter de crucifixo, procedit ad medium chori, elevans crucifixum, incipit Antiphonam sequentem:



Ecce lignum cru cis, in quo salus mun di



pe pen dit. Veni te ad o re mus.

C e


Chorus

Sepultura Crucifixi die Ven. sancto.

Chorus interponit psalmum:



Beati immaculati



in via qui ambulant in lege Domini.

Sacerdos iterum voce intensiore:



Ecce lignum &c.

Chorus: Beati immaculati &c.

Sacerdos tertio intensiore voce:



Ecce lignum &c.

Chorus: Beati immaculati &c. Additque sequentem Antiphonam, sub qua sacerdos ponit crucem in medium chori, seu locum ibi consuetum, & dicit orationes in missali appositae, cum ministris: O Domine Jesu Christe adoro te in cruce pendentem &c.



Crucem tuam adoramus Domine, & sanctam re-



surrectionem tuam laudamus & glorificamus:



Ecce enim propter crucem venit gaudium in

uni-

Chorus

Sepultura Crucifixi die Ven. sancto. 203



universo mundo. De us misereatur nostri,



& benedicat nobis : il lu minet vultum suum




super nos & misereatur nostri.

*Deinde duo pueri, vel alii, genibus ante crucem flexis,
cantant sequentem hymnum:*




Cru x fi de lis inter omnes arbor una nobi lis: nul-



la silva talem profert fronde, flore, germine.



Dul ce lignum dulces clavos dulce pondus



sustinens.

Chorus repetit eundem Versum totum.

Pueri pergunt : **P**ange lingua gloriosi praelium cer-
taminis : & super crucis trophæo, dic trium-
phum

C c 2

phum nobilem: qualiter Redemptor orbis, immolatus vicerit.

Chorus repetit : Dulce lignum dulces &c.

Pueri : De parentis protoplasti fraude factor condolens: quando pomi noxialis morfu, in mortem corruit: ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret.

Chorus repetit : Crux fidelis inter omnes &c.

Dumque pueri reliquos versus in missali contentos pergunt canere; Chorus alternis vicibus interponit, prout supra positum est.

Cruce salutata, Parochus nigra casula indutus, quasi missam celebraturus faciat solito more confessionem, & reliqua prout in missali habentur, perficiat, quibus omnibus absolutis sequitur.

ORDO SEPELIENDI CRUCIFIXUM in eodem Parasceves die.

Sacerdos expleto officio exuit casulam, & indutus cappam purpuream, vadit ad locum, ubi crux velata jacet, discooperit, aquam benedictam aspergit, thurificat, & rursus cooperit, & ad locum præparatum præcedentibus candelis, & cruce deportat, submissè cantando:



Hierusalem luge, & exue te vestibus ju-



cundi tantis, induere cinere re-



& cilicium. Quia in te est oculus


sus


sus Sal va tor Isra el. *Verf.* Ulula-


te pastores & clama te, aspergite


vos ci ne re, *Q*uia inte &c.

Et cum perventum fuerit ad locum sepulturæ, sacerdos aperto sepulchro, aquâ benedictâ aspergit, & thurificat choro cantante: Ecce quomodo: interea sacerdos ponit crucem in sepulchro, & panno albo eam velat:


*E*cce quomodo moritur jus tus, & nemo per-


cipit cor de, & viri justi tollun tur &


ne mo con si de rat: à facie ini-


quita tis abla tus est jus tus. *E*t


e rit in pa ce memoria e jus.



Verf. In pace factus est locus ejus, &



in Sion habitatio ejus. *Et*

Dein Sacerdos claudit sepulchrum, & cantatur:



Sepulto Domino signatum est monumentum



volvantes lapidem ad ostium monu-



menti. Ponentes milites qui custodi-



rent illud. *Verf.* Ne forte veniant



discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi,



surrexit à mortuis. Ponentes. &c.

Postea dicit Sacerdos: In pace factus est locus ejus;

Chorus: *Et* in Sion habitatio ejus.

Et egreditur processio sub silentio,

BE.